

Tum mihi Naso foret superandus carmine blando
 Ipse Philetaeos consequereturque modos.
 Historias molli narrarem carmine longas 15
 Ex pulice et liber surgeret Iliados.

1 *ms* scaeva. 2 *ms* tesalicis. 4 *sensimus*: *mg* novimus. 5 *ms* summissimus. *vv.*
 5—6 *corr. ex*: Libera coila iugo neque enim summissimus adhuc Heu Veneris duri
 praemia servitii. 9 *ms* catenis. 15 *ms* moli. 16 *ms* Iliados.

VII. HIERONYMO MARTINIACO
 QUALITER CUPIDINEIS TELIS MEDERI POSSIT
 RESPONDET

Miles inexpertae referens nova proelia pugnae,
 Quid quereris fixum vulnus habere iecur?
 Quid gemis et duras detrectas ferre catenas?
 Mollia credebas signa cruenta fore?
 Credideras forsán placidum certamen inire: 5
 f. 12^v Cum puero fortes conscripsisse manus?
 Ah, miser, ignoras pueri penetrabile telum;
 Ut grave succensus vulnus ad ossa facit.
 Ut ferus est domitor puer hic, praecordia quanto
 Turbine discindit, quo modo bella gerit. 10
 Implicat hamatis nudantia terga sagittis
 Undique, quis prorsus nulla medella datur;
 Quoque magis tentas morbo medicari isto,
 Hoc mage crudescit vulneribusque nocet.
 Ut levis ardescit concusso stipite flamma 15
 Et fuerat quae iam semisopita, furit;
 Sauciat ut gravius renuentia colla iuencus,
 Ora negata iugo contudit asper equus:
 Sic amor indomito crescit ferus igne, favillam
 Ingerit ulterius, quo magis ipse negas. 20
 Qua ratione, petis, poteris cohibere dolores
 Vulneris illati: cedito, sanus eris.

3 *ms* catenas. 11 *ms* sagitis. 13 morbo *corr. ex* vulnus.

VIII. INSOMNIUM DE REDITU IOANNIS
 VICTURII AD MUSAS

f. 12^v Per iuga montivagas, Parnasia numina, nymphas
 Vidi ego praeterita ducere nocte choros.
 Dulcia dulcisonis nec non perstringere verbis
 Carmina, festivi maxima signa ioci.

	Et dexteras dextris (co)niungere quaeque volebant, Et roseo dulces excipere ore notas. In medium tremulo pulsabat pollice Phoebus Pulcher inauratae fila sonora lyrae. Protinus accedens timida sum voce profatus: „Laetitiaе causam dicite, quaeso, deae.“	5 10
	Una deum placidis sic coepit reddere verbis (Nomen erat cuius docta Thalia reor): „Cesserat a nostro dum coetu sacra Ioannis Gloria, quae felix tempus in omne viget, Tristis erat Phoebus, tristes Heliconia Musae Numina, Parnasus tristis et ipse fuit. Nunc quoniam rediit celeberrima fama dearum Castalidum, divas gaudia tanta movent.“	15
f. 13 ^r	Talia dum memorat quamprimum candida virgo, Languidus excutior et mihi somnus abit. Quare age, qui fueras Musarum verus alumnus, Da Musis verae munera laetitiaе.	20

7 ms police. 11 placidis ss; in textu: brevibus. 12 ms Talia.

IX. AD FRANCISCUM MARTINIACUM UT ELEGIACO CARMINI SE TOTUM TRADAT

	Sacra Venus puerum cum corriuisset Amorem (Quod sine vate nihil tot sua regna forent), Protinus assumpta pharetra Cythereius ales Dicitus ante tuos advolitasse pedes. Inde ubi conspicuum veluti cum numen adorat Inferius, supplex talia verba dedit: „Hactenus excultus vigit, Francisce, Catullus; Nasonis vigit gloria, Gallus erat. Tot prius excelsi modo conticuere poetae, Quadriiugis quorum fama triumphat equis. Nunc mea regna vides, totum diffusa per orbem, Turpiter obducto contumulata situ. Nullus adest tantum pulchro qui carmine numen Ponere flammigera (proh dolor!) arte velit. Imperium sine fine mihi, mea regna sub aequor; Iura damus, gemini sunt mea sceptrā poli. Et tamen exquiro, titulos cui dicere nostros, Cui liceat tanti gesta referre ducis. Proh scelus! imperium cuius non despicit aether, Cum Iove Neptunus quem timet: ecce rogat. Myrtea sarta gerēs, genetricis praemia nostrae, Praemia funereos non subitura rogos.	5 10 15 20
f. 13 ^v		

	Quae modo nos ad te misit, sacrate poeta, Unus ut e nostris vatibus esse velis.	
	Esto Cupidinei felix tutela triumphi, Esto meus vates, signifer esto meus."	25
	Dixit et ornavit doctam diademate frontem; Imposita est capiti sacra corona tuo.	
f. 14 ^r	Ergo age, luctificos omitte, poeta, tumultus, Desine grandiloquo bella tonare sono.	30
	Effera Dalmaticis quotiens Corvatia campis Irruerit, Turcae quam nocuere feri.	
	Mille per Adriacas fluctus memorare carinas Desine cur Veneti signa leonis agant.	
	Sanguineis Bellona comis procul, ira furorque; Classica terribiles effugiantque tubae:	35
	Dulcis amor, dulces tibi sint in mente puellae: Sit coma, sit nivei grata rapina pedis.	
	Argutos cantet, cantet tua mollis ocellos Musa, papillarum quam duo poma tument;	40
	Iurgia nocturno rixantia tempore amantum Scribito, liventes, lactea colla, notas.	
	Docta corymbiferis ornabis tempora sertis, Hac tua nobilitas scandet in astra via.	
	Inter honoratos felix cantabere vates, Spalaetum per te nomen ad astra feret.	45

3 *ms* cithareus. 11 *ms* diffusa. 21 *ms* mirtha. 23 *ms* missit. 29 *ms* omite. 37 mente:
corr. ex corde. 39 *ms* molis.

X. AD ALEXIM
QUOD FORMA SINE MORIBUS SORDESCIT

f. 14 ^v	Nunc formosa tibi facies fulgebat, Alexi Candide, nunc Phrygius, nunc puer Ilus eras. Conspicuam tenero mirabar corpore formam; Pulchrior Hippolyto, pulcher Adonis eras.	
	Et bene, nam studiis fueras comitatus honestis, Vivebat claro pectore clarus honos.	5
	Et bene, nam liquidi Parnasia numina fontis Pallidulos latices ad tua labra dabant.	
	Te Charites blando stringebant pectore, Nais Texebatque tuis florea sarta comis.	
	Quo fugit illa tui praestantis gratia vultus? Heu periit cur nam tam bona forma tibi?	10
	An quia clara tuo discessit pectore virtus, Turpior iccirco tu mihi forsitan ades?	
	Qua sine, forma nihil. Iuvenes, ne credite formae: Forma fluit, probitas ni sua iura regat.	15

4 *ms* Hypolito. 13 *ms* discesit.

XI. MARCO MARULO

- f. 15^r Quam mihi misisti, vatum celeberrime, nuper,
 Sit tibi perpetuo munere missa salus.
 Nam tua fama viget, longae dignissima vitae,
 Convenit ingenuis moribus aucta dies. 5
 Conveniunt studiis longissima saecula clavis:
 Tam facili quid non convenit ingenio!
 Scire velis fortasse meam quae gaudia mentem
 Sollicitant: scriptis, dulcis amice, tuis.
 Grata fuere nimis, sed quot numeravimus, inquis.
 Multa cupis: stellis, si potes, adde modum. 10
 Aequare quot pisces fluitant, quot in arbore frondes,
 Plumigeræ silvis quot modulantur aves;
 Magna racemiferos quot habet vindemia fructus,
 Grana quot in sicco tempore messis habet;
 Corpora parva nivis volitant quot in aethere caro, 15
 Florida quot violas vere remittit humus.
 Saepe igitur facias tali me munere dignum,
 Talia si dederis saepe, beatus ero.

8 scriptis: *corr. ex lectis*. 12 *ms* plummigeræ.

XII. HIERONYMO MARTINICHO

- f. 15^v Artibus ingenuis, patriae lux clara iuventae,
 Gratulor. Ecce meo tempore Musa viget;
 Ecce biceps nostra viget en Parnasus in urbe,
 Cumque Caballino flumine mons Helicon. 5
 Amodo degeneres vocitet quis temporis annos
 Huius: habent magnum saecula nostra decus.
 Carmina misisti, totiens ego missa relegi,
 Quae mihi, mellifluis condita nempe modis,
 Quis neget Aonias Phoebæ dictasse sorores 10
 Illa suo, Phoebum concrepuisse lyra.
 Doctiloqui tibi sint curae oblectamina versus;
 Hos decet ingenio semper inesse tuo.
 Tenditur ad superos studioso tramite calles,
 Palladia aetherius scanditur arte polus.

5 amodo: *ms* imodo. 8 *ms* melifluis.

XIII. AD GILIBERTUM GRINEUM, POETAM EXIMIUM,
 PRO MAGNIFICO URSATO IUSTINIANO
 RESPONSIO

- f. 16^r Nobilium decus o vatum, celeberrime vates,
 Grineu, Musarum rector, alumne, pater.
 Cuius honoratae volitant monumenta Camoenae
 Iam super Hesperias Mygdoniasque domos;

Nomen erit cuius mansurum semper in aevum, Destituent cuius saecula nulla sophos. Carmina misisti mihi quae dulcissima nuper, Legimus: haec animo grata fuere meo. Pro quibus innumeras grates tibi non ego solus Debeo: debebit Iustiniana domus.	5 10
Haec mihi perpetui gratissima muneris instar Semper erunt medio condita nempe sinu. Non quia cuncta velim de me mihi credere, quae tu Concinis, ast illo sed quod ab ore fluunt, Quo resonante lyra lapides mitescere possent, Posses montivagas sollicitare feras. Felix o totiens cui di tribuere sonoro Carmine terrigenas tollere ad astra viros. Cunctarum cedant rerum diademata solis. Carminibus, semper carmina sola manent.	 15 20

17 ms dij.

XIV. IN DETRACTORES PRO MAGNIFICO PETRO TRIVISANO, SPALATENSIIUM RECTORE

f. 16 ^v	Mens mala, corrupti mores, ignobile vulgus Et cum periura lingua canina fide: Hei duo pacificam turbantia carmina mentem, Nescio quod dedecus conviciumque nefas, Ausa fuere modo genuinos frangere dentes Nomen et illius velle notare viri, Qui tulit huic miserae tantum solaminis urbi, Aegroto quantum ferre medella potest; Qui populos ratione feros gravitate coercet, Conspicua cunctos qui pietate fovet; Quo melius quicquam voto exoptarier collo Haud potuit, probius iustitiaque prius. Nil nocuit sed enim foedae petulantia linguae, Iccirco mala mens victa dolore iacet. Victa iace, mala mens: mala dis tribuantur iniquis Cuilibet, exemplo corruat ipse suo.	5 10 15
f. 17 ^r	Non potis est claram virtutis rumpere famam Improbo: stat titulis non vitiata suis.	

Inscr. ms detractores. 15 ms diis.

XV. AD AMICAM CRUDELEM NICOLAE CIPPICI

Lydia cara, tui tandem miserere Nicolae,
Qui nimium pro te nocte dieque gemit;
Qui totiens in amore mori voluisse fatetur,
Sed sine consensu non potuisse tuo.